



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

SYMBOLVM LIII.

Oedipi, Oedipodarum, & Amphiarai Vatis
interitus.*Seneca in Oedipo. Statius in Thebaide.*

Ethicè.

1. Sphingi confertur lasciva mulier. 2. Conscientia mala. 3. Quales parentes, tales filii. 4. Ambitio inter propinquos. 5. Fallax mulierum amor. 6. Illustrium matronarum charitas erga maritos. 7. Peccatoris cum Amphiarao collatio. 8. Litterarum & armorum conjunctio. 9. Arma laureata, quæ.

Oedipus, ejusque scelerata posteritas Græcis, Latinisque Poëtis tragicum scribendi stylum in manus dedit; in quibus eminuerunt Sophocles, Euripides, Seneca in Oedipo ac Thebaide; præsertim verò Statius tubâ Romanâ divinam cecinit Thebaida, seculis omnibus victuram. De Amphiarao Oedipodarum calamitatibus implicito tangit aliquid Ovidius lib. 9. Metam. Series infelicitatis ac improbitatis hæc est.

Oedipus *Lajum* Thebanorum regem, *Iocastam* Creontis, itidem regis Thebani filiam, parentes habuit. Pater cum ex Apollinis oraculo didicisset, futurum, ut à filio occideretur, eum pastori tradidit interficiendum: qui misericordia commotus, cum invitus regiæ stirpi manus inferret, neq; tamen regis imperium auderet detrectare, perforatis gladio plantis, viminèque trajecto, ex arbore puerum suspendit, inedia extinguendum. Fortè illac habebat iter *Phorbas*, Polybii Corinthiorum regis pastor, qui pueri audito vagitu, accurrit, nexibus exsolvit, ad reginam, liberis carentem, magni muneris loco attulit; hæc parvulum educavit, & à pedibus vulnere tumens, *Oedipum* appellavit, ab οἰδῶ τῆς ποδῶς. tumeo pedibus. Grandior deinde natu factus, compertò, se *Polibii* filium non esse, patrem perquirere statuit, & consultò Oraculò accepit, se in Phocide (Græciæ regione) patrem inventurum. Eò delatus, orta inter Phocenses seditione, *Laium* conantem reprimere tumultum, incognitum interemit. Postremò tanquam Oraculò lusus, Thebas petens, in itinere in *Sphingem* incidit.

incidit. Erat hæc monstrum, caput & faciem habens puellæ, alas avium, reliquo corpore canis referens effigiem. Sedem habuit in monte, Thebis vicino, & in viatores impetu facto, eos unguibus discerpebat. Consultus Apollo, respondit, non alium tanti mali finem esse, quam si quis Sphingis ænigma dissolveret. Id autem erat hujusmodi. *Quodnam id esset animal, quod manè quadrupes, meridie bipes, vesperti tripes esset.* Quod cum plurimi frustra conati dissolvere, à Sphinge fuissent interempti. Creon tunc temporis Thebanis imperans, edictò per Græciam universam promulgatò, *Iocastam* sororem suam, *Laii* viduam, uxorem se ei daturum pollicitus est, qui nodum Sphingis explicasset. Cujus rei famâ excitus *Oedipus* hunc in modum obscuram quæstionem declaravit, ut diceret: animal illud esse hominem, qui in infantia manibus & pedibus repens veriùs, quàm incedens, quadrupes esset. Deinde in medio juventæ robore, non alio, quàm pedum adminiculo nitens, meritò, ut est, bipes dici possit. Ingravescente autem ætate, assumpto *Scipione*, tripes debeat judicari. Sphinx dissolutionem ænigmatis tam ægrè tulit, ut se de saxo præcipitans, cervicem fregerit. *Oedipus* autem, quoniam *Polybii* filius credebatur, *Iocastam* matrem, inscius uxorem duxit; ex ea quatuor filios genuit, in quibus fuere *Eteocles* & *Polylices*. Postea verò cum se matrem sibi conjugio copulasse, patremque occidisse cognovisset, dolore percitus, sibi ipsi in pœnam, oculos eruit; denique fulmine ictus interiit; *Jocasta* voluntariam sibi necem conscivit gladio. Uterque parens omnibus diris & execrationibus nefandos liberos devoverunt, tristi sanè eventu. Nam pater sponte in exilium proficiscens, regnum Thebanorum ea lege reliquerat filiis, ut alternis annis regnarent. Verùm cum *Eteocles*, cui utpote natu majori, *Polylices* priores regnandi vices concessit, fratri suo, regno cedere recusaret, ille *Argos* sese contulit ad *Adrastum* regem, qui filiam nomine *Argiam*, uxorem illi despondit, contractisque, quàm maximas potuit, viribus, unà cum *Tydeo*, altero genero, Thebanis bellum intulit: cujus is fuit exitus, ut duo fratres, singulari certamine congressi, mutuis vulneribus caderent. Quin etiam cadaveribus rogo impositis, flamma se dicitur divisisse, tanquam implacabile illud odium, quod inter vivos extiterat, ne morte quidem potuerit finire. Ea belli vis etiam *Amphiaraus* in partem calamitatis traxit. Erat hic *Oiclis* filius, unde dictus *Oiclides*, maritus *Eriphyles* (quæ soror erat *Adastri*, *Argivorum* regis) vates Græcus, qui à *Pindaro* vocatur *σφαίλιας ὀφθαλμὸς*, exercitûs ocu-

lus,

Ius, ut à ejus in castris præsentia, salus militum & fors victoriæ penderet. Jussus igitur ad bellum Thebanum proficisci, cum vehementer id improbaret ac dissuaderet, perniciem ac calamitatem imminentem multò ante denuntiaret, ac prædiceret; ubi nihil se proficere animadvertit, latere voluit, ne cum aliis certum in exitium rueret. Latentem prodidit Eriphyle, aureo monili ab Adastro fratre corrupta. Ita coactus in bellum fatale proficisci, primo die, quo Thebas venit, terræ hiatu absorptus est, unà cum curru, quo vehebatur, non sine prodigio: nam eum in locum aquila devolans, telum Amphiarai in sublime extulit, móxque demisit; id autem humi fixum, in laurum est versum. Cæterum Amphiarus uxoris perfidiam ulturus, *Alcmaoni* filio in mandatis reliquit, ut acceptò primò mortis suæ nuntio, matrem interficeret. Quo in facinore obeundo, cum patris voluntati paruisset, in furorem incidit, & ad *Phegeum* fluvium, cujus undis se purgaret, concessit; qui filiam ei suam (nam apud Poëtas sub Deo Neptuno plurimi sunt Dii tributarii, madidis in regnis habentes sedem, & prolifici) *Alphesibeam* matrimonio collocavit, aureo monili desponsatam. Hanc cum deinde repudiaret, & ab ea fatalem torquem repeteret, ut illum novæ nuptæ *Callirhoæ*, Acheloi filia, donaret, à fratribus *Alphesibœæ* *Themeno* & *Axione* cæsus est; sed hos ipsos *Alphesibœa*, *Alcmaonem*, quanquam conjugii proditorem, vindicans occidit. Hinc Propertius lib. 1. Elegi. 15.

Alphesibœa suos ultra est pro conjuge fratres,

Sanguinis & chari vincula rupit amor.

Dissentit à Propertio Ovidius, qui 9. *Metam.* canit ex oraculo *Themidis*:

Tum demum magno petet hoc Acheloia conjux

Ab Jove *Callirhoæ*: natis infantibus annos

Addat, neve necem sinat esse ultoris inultam.

Annuit Jupiter, & privignæ suæ *Hebæ* (quia solius Junonis filia) juventutis Deæ, mandavit, ut libris *Callirhoæ* Nymphæ, etiamnum im-
puberibus præproperaret juventutem, & viros faceret ante viri-

lem ætatem, quò patris necem ulcisci possent. Neque
aliter factum, quàm mandatum.



Q q

Ethica.

Ethica.

I. Variæ de Sphinge sunt explicationes, mihi placent tres potissimum. *Prima*, Sphingis monstrum templis Ægyptiorum præfigi solitum indicabat, sacra mysteria obscura esse, arcanaque. Ob quam causam Augustus Imp. litteras suas obsignare Sphingis imagine solebat. *Secunda* est Ricciardi, Sphingis ænigma ad mysterium S. S. Trinitatis, referentis. Lapis pingebatur quadratus, *immobilis, immutabilisque Divinitatis* argumentum; huic rotundus innixus Orbis, *æternitatis signum*: triangularem pyramidem sustinebat, tanquam *Dei triumviri* imago; hanc tres Sphinges fulciebant, ut Deum ex quo, in quo & per quem sunt omnia, velut ænigma omnium subtilissimum proponerent. Sed hoc est abstrusius, & Poëtarum ingenio sublimius ac sacratius.

(a) *Tertia* expositio aptissima, quæ per Sphingem lascivæ mulieris, illecebræ captiosæ intelliguntur, uti exponit Cornelius à Lapide in illa verba Prov. 7. *Iretivit eum multis sermonibus, & blanditiis labiorum pertraxit illum.* Quæ verba sapiens de meretriciis illicitis usurpat. Nam sicut Sphinx erat monstrum Thebanum, ex variis animalibus commistum, ac confictum; sic lascivus amor ex variis tum *amati* ideis, tum *amantis* imaginationibus conflatur & confingitur. Sphinx enim vultu & manibus similis erat *puella* speciosæ, corpore *cani*, alis *avi*, unguibus *leoni*, cauda *draconi*, voce *homini*, quæ prætereuntes difficilibus & inextricabilibus quæstionibus remorari ferebatur. De qua Aufonius:

----- volucris, leo, virgo, triformis

Sphinx; volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Sic mulier illecebrosa habet vultum speciosum puellæ, sed corpore procax est, impudens, & luxuriosa, instar *canis*: alas habet *avis*, quia fora & compita ad cœtus juvenum non tam currit, quàm volat: unguibus *leonis*, quia amatos suos lacerat: caudam *draconis*, quia eosdem in fine implectit, perdit, occidit, devorat ut draco: opes aufert, pudorem, honestatem, famam, vitam, si non corporis, certè animæ. Hinc Sphinx dicta ab effectu, quod homines suis verbis & quæstionibus ita stringat, ut se expedire non possint, nam *εφίγγειν* est *constringere* vel *vincire*. Experitur id, quisquis turpi amore implicatur. Hæc Cornelius.

I I. (b) Quid sit mens conscientiæ malæ stimulis agitata, in Oreste ostendimus; & iterum in Oedipo docemus, qui quòd patrem occiderit,

(a) Sphingi comparatur lasciva & illecebrosa mulier. (b) Conscientia mala.

derit, & matrem uxorem duxerit, quanquam inscius, non sustinuit in-
 tueri solem; ipse sibi eruit oculos, in exilium abiit, denique fulmina-
 tus, pœnas luit. Sentit enim nocens prius carnificinam, quàm videt;
 persequitur scelus autorem suum, raròque scelestum deseruit pœna pede
 claudo. Præclarè Pacatus in Panegy. Theodosii Imperatoris c. 43.
 Habet vires, habet nescio quos internos mens scelerata carnifices, ac si-
 bi carnifex ipsa conscientia est. Et Quintil. declam. 12. §. 18. O tri-
 stis, inquit, recordatio! ô tormentis omnibus conscientia gravior! Et
 Chrysolog. serm. 15. Ruit, destruitur, stare non potest, quem con-
 scientia destituit, impellit reatus. Philostratus lib. 7. de vita Apollo-
 nii c. 7. Conscientia est, quæ homines punit, cum se malè operatos
 fuisse recogitant. Eadem enim Furiarum pœnas apposuit Orestis, quan-
 do adversus matrem insanit. S. Augustin. in psal. 36. Quisquis ma-
 lus est, malè secum est; torqueatur necesse est: sibi ipse tormentum est.
 Ipse enim pœna est sua, quem torquet conscientia sua: fugiat ab inimi-
 co, quò potuerit; à se quò fugiet? Certe non effugit se Oedipus, quo-
 cunque tandem intentaret fugam, nefandi sceleris horrorem debebat na-
 tura ipsa injicere, nisi prius rationis, postea verò frontis lumen extinxis-
 set. Noluit magis, quàm non potuit agnoscere, quos debuit. *Iocasta*
 paris culpæ; paris pœnæ socia fuit. Diris execrationibus sese ipsum de-
 vocit infelix Oedipus ut Seneca refert in Oedipo. act. 4. Scen. 3.

----- Sæculi crimen vagor,
 Odium Deorum, juris exitium sacri;
 Quâ luce primùm spiritus hausi rudes,
 Jam morte dignus.
 Dehisce tellus, tūque tenebrarum potens
 In tartara ima, rector umbrarum, rape.
 Congerite cives saxa in infestum caput:
 Mactate telis.

En quò rapiat sceleratos mortales desperatio; quem finem fortia-
 tur impietas.

III. (c) Ex nefandis parentibus nefandi sunt orti filii, Eteocles &
 Polynices, ut agnoscas, flagitia non tantum fieri, sed etiam nasci, quod
 alibi quoque diximus. Ad liberorum improbitatem contulit plurimum,
 eum thorus infandus, tum parentum in eos devotiones ac diræ; adeò,
 ut in proverbium abierit: *Oedipi imprecatio*, audiamus Senecam, in
 Thebaide act. 2. memorantem detestaciones impias ab Oedipo in filios
 contortas.

(c) *Quales parentes, tales filii*

Q. 9. 2

Mi-

Miscete cuncta, rapite in exitium omnia,
 Descite passim moenia, in planum date.
 Templis deos obruite, maculatos lares
 Conflata: ab imo tota confidat domus:
 Urbs concremetur, primus à thalamis meis
 Incipiat ignis

----- non satis est adhuc

Civile bellum; frater in fratrem ruat &c.

Efferatior marito fuit Jocasta (ut hic sexus solet) in maledictis vibrandis, ut Euripides testatur. Hujusmodi parentum in liberos devotiones quàm sint formidandæ, quotidiana exempla docent. E sacris paginis constat, quibus calamitatibus involverit Chamum, ejusque posteros Chananæos maledictio parentis Noë, justè quidem inflictæ. S. Augustinus lib. 22. de Civit. c. 8. refert de matre, quæ decem filiis suis malè imprecata, tremulos illos, miseros, ac vagos effecit. Vidit hoc duce natura & ratione Plato, qui 11. de Legib. exemplis ostendit, malas parentum in filios preces à Diis exaudiri: Oedipus, inquit, contemptus à filiis (nam frustra in concordiam eos conciliare studebat) ea illis imprecatus est, quæ exaudita, effectaque ab iis, apud omnes feruntur. Amyntora quoque Phœnici filio iratum, illi maledixisse ferunt, & Hippolyto Thesæa, plurimòsque alios aliis, quibus apertissimum factum est, à Diis preces parentum adversus filios exaudiri. Nihil enim imprecatione parentis perniciosius filio, cujus rei firmior testis Siracides c. 3. *Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamenta*; id est, domos & familias funditus evertit. Id quod supra quoque retulimus, & juvat inculcasse.

IV. (d) Deus te perdat, Ambitio, inquit ille,
 Quæ fratres armas in fratrum viscera, quæque
 Securum à nato non sinis esse patrem.

Exempla sunt innumera, etiam fratrum inter se agentium, quod egerunt inter se Eteocles & Polynices, quos regnandi libido in mutua vulnera & cædes impulit. Eandem causam habuit Romulus, cum Remum occideret. Eandem in sacris historiis, Joram Rex Judææ, cum suavisu Athaliæ uxoris, fratres interfecit. Eandem Abimelechus, Gedeonis filius, patri longè dissimilis, qui uno die septuaginta fratres truncavit capite; ambitionis ultimum nefas, ac postea frequens. Eandem Aristobulus rex & ipse Judææ, cum Antigonum fratrem è medio sustulit. Eandem Cambyfes Perfarum Rex, cui cum per quietem visum

(d) *Ambitio quantum malum, etiam inter propinquos, esset,*

esset, venisse sibi nuntium, qui diceret: *Mergidem solio sedere regio*, cum manu Perexaspidis Persæ interfecit. *Herodotus*. Eandem *Iugurtha*, Manastabalis filius nothus, cum *Adherbalem* & *Hiempsalom*, Micipsæ patrui sui filios exanimavit, ut solus Numidis imperaret. Eandem Mithridates Rex Ponti, cum matrem, fratrem, & insuper sex liberos peremit; & ipse demum à Pharnace filio necatus. Eandem innumeri alii, qui ferum, dominandi cupiditate, parricidiis eruentarunt. Felix & beata erit civitas illa (& quælibet familia) in quâ hæc duo verba *Meum* & *Tuum* non audiuntur. Stobæus serm. 22. ex Plutone. Hæc duæ voculæ, etiam joco prolata quantam in nobili familia tragœdiam excitârunt, narrat Bernardinus Scardeonius lib. 3. class. 13. in descriptione urbis Patavinæ, & ex eo Jacobus Pontanus Attic. Bellar. Part. 1. Syntag. 1. hist. 55. Ex familia, inquit Liminæa Patavina antiquissima, fuerunt duo fratres, qui cum per æstatem ruri post cœnam, noctu, sub dio in atrio domûs de diversis rebus diversa inter se loquentes starent, stellâsque innumeras suspicerent & contemplarentur, quæ tum fortè sereno cœlo fulgebant; per jocum alter dixit ridendo: precari se tot sibi boves, quot stellâs micare conspiceret. Tum alter mox item per jocum respondit: utinam mihi pratium esset instar cœli latum: & ad fratrem conversus, ubi tum, inquit, tuos pasceres boves? ille, in prato tuo. Rursus alter, quid si nollem ego? subjecit ille: te etiam invitò; Tu me invitò? Etiam, iterat, te invitò. Sic altercando risus in iram, ira mox in rixam, & in serium furorem conversa, dum neuter alteri cedere sustinet, exertis utrinque gladiis, seu pugionibus, quibus fortè ambo accincti erant, se invicem transfixerunt. Et hinc unus, illinc alter humi decedentes, exanimes in sanguine suo volutati sunt, donec à domesticis, qui eos altercantes audierant, delati intra domum, fatali horâ properante extincti sunt. Quo luctu familiæ quis explicet? Adeò si cœlum quoque rixis materiâ subjicit; quid litium non parit tellus, peperitque? Discordes in rogo duorum fratrum Eteoclis & Polynicis flammæ terreat animos, ambitione & iracundiâ accensos: nam quos dissidentes mors rapuit, nulla componet inter ignes æternitas.

V. (e) Eriphyles ob maritum monilis causâ proditum, à filio precepta, totiusque familiæ perditâ meminit Horatius Od. 16. lib. 3.

----- Concidit auguris
Argivi domus, ob lucrum
Demersâque excidio.

Et Propertius eleg. 10. l. 3.

Q 9 3

Tu

(e) *Fallax mulierum amor & fides.*

Tu quoque ut auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiarus equis.

Et Ovidius lib. 1. amor.

Ex quibus exierat, trajecit corpora ferro
Filius, & pœnæ causa monile fuit.

Arguit hic locus fallacem mulierum amorem & inconstantem fidem, si quis sit, qui liciterur. Quoties eius vitam, quem *oculum*, *corculum*, *delicium*, *animam* suam vocant, venalem gerunt! acus crinalis, flabellum, speculum, digitabulum, in auris, monile, murenula, armilla, annulus haud difficulter expugnat mutabile pectus. Juvenal. lib. 2. Sat. 6.

Occurrent multæ tibi Belides, atque Eriphylæ.

Illæ maritos occiderunt; hæc occidendum prodidit. Nihil non audet, mulier superba simul & avara; plerumque tantò nocentior, quanto apparet innocentior. P. Syrus in Mimo ait: *Aperitè cum mala est mulier, tum demum est bona.* Euripides fucatum malum appellat. Idem in Hippolyto loquitur:

Odi mulieres, te verò præcipuè,
Quæ cum malè egeris, blandè loqueris.

Eriphyla suâ prodicione maritum in terræ hiatus præcipitavit. Toties hoc fit, quoties uxores malæ blanditiis ac nequitiis suis corda virorum evertunt; quarum superbiæ ut satisfiat, ad fraudes, ad rapinas, ad varios dolos adigunt eos; in impatientiam, in luxum, in avaritiam, in odia, in errores, in hæresim, in mille mala, & demum in æternæ damnationis barathrum pertrahunt. Felicissimus fuisset Imperator Justinianus, si conjuge Theodora caruisset, quæ ipsum in Eutychianam sectam induxit Baron. an. 540. Pari modo Arcadius Imp. ab uxore sua Eudoxia deceptus, sanctissimum Præsulem Chrysostomum in exilium egit. Baron. an. 404. Ita Valentem Imp. jam Christianâ doctrinâ imbutum, & baptismo proximum, Ariana hæresi implicavit uxor & perdidit. Theodoret. lib. 4. Eccles. hist. c. 11. Taceo plura. De huius generis feminis loquitur Philosophus *Secundus*, dum interrogatus quid esset mulier, respondit: Viri naufragium, domûs tempestas, quietis impedimentum, vitæ captivitas, quotidianum damnum, voluntaria pugna, sumptuosum bellum, conviva fera, læna complectens, exornata Scylla, animal malitiosum, necessarium malum.

VI. (f) Non desunt tamen illustres matronæ, quæ salutem mariti etiam suæ posthabebant. Nobile sacris in litteris huius rei documentum

(f) *Illustrum matronarum fides & charitas erga maritos.*

mentum dedit Michol, quæ conjugem suum Davidem parentis Saulis furori mirâ solertiâ subduxit, dum eò clàm emissò, pro loco viri simulacrum eius in lectulo supposuit, & regio satellites elusit. 1. Reg. 19. Memorabile est facinus feminarum Lacænarum, quæ captivos viros, mutatis vestibus liberarunt, ipsæque in captivorum locum se substituerunt. Plutarch. Quod etiam de nostris legimus, quæ tam efflictim maritos suos amaverunt, ut Conrado III. Imp. adversus Guelfonem, Bavariæ ducem, bellum gerente, oppidumque Winsbergam in deditionem accipiente, cum fieret matronis gratia efferendi, quidquid humeris portare possent, illæ neglecto auro, & omni mundo muliebri, maritos suos humeris susceptos exportarent, admirante & collaudante mulierum fidem Casare. Jo. Navel. vol. 2. generat. 38. an. 1138. Majus etiam conjugalis amoris argumentum extitit, quod subdo. In expeditione adversus Syros, Robertus Britanniarum Rex, gladio venenato, luculentam in brachio acceperat plagam, itaque insederat malum, ut in patriam reversus sanitati non posset restitui, nisi pus virulentum humano ore extraheretur, respuit Rex medicinam, facienti exitiosam, Regina facinus supra virum ausa, noctu solutis vulneris fasciis, primum inscio marito, post etiam connivente, venenum sugendo elicuit, & plagam medicis præbuit facillimè curandam. Georgius Viviennus lib. 2. de offic. probi patrisfamilias. c. 13. & ex eo Georgius Stengelius de matrimon. c. 24. Idem beneficium contulit Eduardo Regis Angliæ primigenio filio uxor, Regis Hispaniæ filia. loc. cit. ex Roderico Santio p. 1. hist. c. 4. Adeò lingua feminarum vel pessimum telum, vel optimum est medicamentum. De Eriphyla Cicero 4. Verr. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate fuisse, ut cum vidisset monile, ut opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine eius incensa, salutem viri proderet. Similis istius (Verris Cupiditas) hoc etiam acrior atque insanior, quod illa cupiebat id quod viderat: huius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur.

VII. (g) De Amphiarai sub terras raptu eleganter disserit in Labyrintho cap. 5. p. 1. Stengelius. Amphiarus vates Argivus & augur, cum prævideret fore, ut in bello Thebano interiret, terræ diruptione absorbendus, diu pertinaciter domi latitavit. Sed ut plerumque loquax & infida est mulierum natio, tandem ab uxore proditus, persanè invitatus ab Adrasto ad bellum est pertractus. Ubi cum manu pariter ac ferro strenuus, victrice curru sublimis pugnaret.

----- ecce

(g) Peccatoris cum Amphiarao comparatio.

----- ecce altè præceps humus ore profundo
 Dissilit, inque vicem timuerunt sidera, & umbrae.
 Illum ingens haurit specus, & transire parantes
 Mergit equos, non arma manu, non frena remisit.
 Sicut erat, rectos defert ad tartara currus.
 Respexitque cadens caelum, campumque coire
 Ingemit.

Quàm multis nos partibus Amphiaræ inferiores sumus! Perituri non providemus nos perituros. Aliis vates sumus, nostra pericula mantica immitimus, quæ in tergo est. Amphiaræus longè ante prospexit in abyssum exitii sui: nos fugimus, si quis digitum intendens monstrare vult, ubi pereamus. Amphiaræus quod vidit, quæ potuit, cavet. Nos sapè perspicuè videntes, quid nos perdat, nihil cavemus. Illum uxor sua prodidit; nos caro nostra in pericula projicit. Imò ultro per abrupta in præcipitium insilimus. Illum equi rapuerunt in profundum, nos rapiunt indomita cupiditates: Spes, metusque inanes: brevis dolor, aut brevis voluptas: amor vindictæ, amor pecuniæ, amor gloriæ, quocumque volunt, tanquam infruita bestia rapiunt. *Ille cadens caelum respexit, campumque coire ingemuit;* nos deorsum ferimur, & sursum neque oculos, neque animos mittimus; Illum post tantum saltum, Elysi proceres dicuntur magnis gaudiis excepisse: nos quò profundius immergimur in *Mundum*, eò profundius descendimus in *Infernum*; plorante caelo, & tartaro super nos cachinante. Hæc ille vir disertus.

VIII. (b) Sed quid sibi vult telum Amphiaræi subdito lauro vestitum, imò in laurum mutatum? Arbor hæc est Symbolum tam doctrinæ quàm Victoriæ. Ostenditur, litteras etiam belli tempore utiles esse, quod comprobatur celebre illud regis Agamemnonis votum, qui ut Troia facilius potiretur non Achillis, aut Ajacis, sed Nestoris decem similes optabat sibi. Nam & Architam Tarentinum, Philosophum Pythagoricum sexies exercitum duxisse legimus, & Melissum Sarminium, Parmenidis Philosophi auditorem, navalibus aliquot victoriis insignem fuisse; & ter stipendia facisse Socratem; & Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam præstitisse. Quid illa propugnacula Græciæ, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani imperii columnina Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosque innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros, tum præstantes doctrinæ studiis fuisse historiæ loquuntur. Nam Julium Cæsarem quis nescit ultra laude præstaret,

(b) *Litterarum & armorum conjunctio.*

ret; ambiguum posteris reliquisse? Atque hoc præclare olim intellexisse videntur Mitylenæi præcipuam esse in Republ. vim litterarum, qui quos populos bello devicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, nisi ut ne liberos suos litteras edocerent. Muretus vol. 1. Orat. 2. de laudibus litterar. Duæ sunt artes, inquit Cicero pro Muræna, quæ possunt locare homines in amplissimo dignitatis gradu: una imperatoris, altera oratoris boni: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur.

Utrinque (ex litteris & armis, quæ duo conjunxit Amphiarus) magnum decus, magna commoda, magna emicat gloria.

IX. (i) Laureata Amphiarai hasta in animum mihi reducit. Hastam illam Constantini M. quam in signum labarum militare, per modum Crucis, in cœlo conspicuæ, erexit; quippe per quam salutem, victoriâque adversus Maxentium tyrannum consecutus fuisset. Quænam verò gloriosior vel laurus, vel laureata hasta est, quàm quæ Dei gloriæ militavit: Tartari vires contrivit, disiectisque superstitionum tenebris, veræ Religionis jubar, longè, latèque propagavit? De qua Prudentius adversus Symmachum lib. 1. de potentia crucis.

----- Tunc ille senatus (scilicet Romanus)
Militiæ ultricis titulum, Christi que verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

Et ibidem:

Testis Christicolæ Ducis adventantis ad urbem
Milvius, exceptum Tiberina in stagna Tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarunt stemmate pila.

Figuram ejus hastæ ita depingit Eusebius apud Baron. ad annum Ch. 312. Hastile erat oblongum, erectumque auro undique obductum, quod cornu (seu bacillum) habuit transversum, ad formam crucis constructum; in fastigio operis corona affixa, lapidibus pretiosis, & auro circumtexta. In ea salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est, duabus primis litteris Græcis nominis Christi: erat P. in medio litteræ X. curiosè & subtiliter inserta, quæ totum nomen Christi perspicuè significarunt. Velamen ex cornu transverso pendeat, quod crucis mensuram æquavit, & illud gemmis & auro pretiosum. Hæc Eusebius. Nobile sanè trophæum, & omni-

R r

bus

(i) *Arma laureata Deo dedicanda.*

bus belli Ducibus ob oculos ponendum: ut meminerint gladios & hastas suas non innocentium sanguine pingere: non rapinis & iniquis spoliis cingere; sed lauros eis inflectere, hoc est, justitiæ, fortitudinis, continentiae laudes appendere, armæque in Dei causa vibrata, Deo victoriarum Datori, suis in templis, quod majores nostri fecerunt, dedicare.

X. (k) Amphiaræus tellure absorptus, laureatum telum, seu hastam, reliquit; quod significatur nominis post fata superstes fama & immortalitas. In tenebris jacerent fortissimorum virorum res gestæ, nisi lumen litterarum accederet. Deslueret in cineres memoria, nisi eam ab oblivione litterarum monumenta vindicarent. Gloria factorum eboris est instar, quod assiduo contactu, nitorem contrahit ætatum consequentium; & perpetuo velut affricu, splendidior existit, benefició litterarum,

(k) *Litterarum dignitas ad famam militarem illustrandam.*

SYMBOLVM LIV.

Hebe & Ganymedes, Iovis Pocillatores.

Ex Homero lib. 4. Iliad. Virgilio 3. Æneid. Mythologo lib. 2. s. s. & lib. 9. s. 13.

Ethicè.

1. Favor Principum inconstans.
2. Virtus & doctrina commendant formam.
3. Cur quidam in flore ætatis moriantur?
4. Virtus & invidia evehunt in astra.

Heben Latini, Tullio teste, *Inventatem* (id est, juventutis deam) vocarunt; Poëta Junonis filiam fuisse dixerunt; & fabulosum ejus ortum hunc memorant. Fuit, cum Juno ab Apolline, in domum Jovis ad convivium vocaretur; in eo præter nobiliores dapes, agrestes lactucæ appositæ fuerunt (nam dii ambrosiam quoque simplici ore distinguebant esca,) quas ubi Juno comedit, cum antea esset sterilis, repente fit gravida, & Heben filiam parit. Ea cum pulcherrimæ formæ esset, Juventuti præficitur ab ipso Jove; & id præterea illi munus datum est, ut Jovi pocula ministraret, caput ornata sermo variis è floribus textis. Verum cum aliquando inter ministrandum incautiùs & indecorè lapsa